TRACTATUS DE AMORE, CULTUQ. REGINAE CAELI COMPENDIO SCRIPTUS PER...

Juan : de Jesús María



Sacræ Eremi Montis Virginei Carmelitarũ Discalceatorũ



TRACTATUS
DE AMORE, CVLTVQ.
REGINAE CAELI

COMPENDIO SCRIPTVS

PER R. P. F. IOANNEM
à Iesu Maria Carmelitam Discalceatum
Calaguritanum.

AD SANCTISS. D. N.
PAVLVM V. P. M.



ROMAE, Typis Iacobi Mascardi. 1615.

SVPERIORVM PERMISSV.

F. Dominicus à Iesu Maria Vicarius Generalis Congregationis S. Eliæ Fratrum Discalceatorum, Ordinis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo libellum hunc inscriptum: *De amore, cultuq. Reginæ Cæli*, à R.P. F. Ioanne à Iesu Maria eiusdem Congregationis, compositum, probo vt typis mandetur, si placuerit Reuerendissimo D. Vicesgerenti, & Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij. Datum Romæ in Cœnobio nostro S. Mariæ de Scala die 1. Augusti. 1615.

F. Dominicus à Iesu Maria *Vicarius Generalis.*

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

Imprimatur. Fr. Gregorius Donatus Rom. Lector, & Reuerendiss. P. F. Hyacinthi Petronij Rom. Sacri Palatij Apostolici Magistri Socius, Ord. Præd.



SANCTISSIMO D. N.

PAVLO QVINTO

PONTIFICI MAX.



FR. IOANNES F.



VAM piè Cæli Reginam colas, Pontifex Maxime, sat persuasum est, tum alijs argumentis, tum Sacello illo, in Exquilino colle à te con-

ſtructo, quo, vt fama percrebuit, nullum in orbe terrarum cernitur magnificentius.

Credendum proculdubiò, ædificium operoſiſsimum amplificando Virginis cultui deſtinatum, fuiſſe ipſi acceptum, vti fuit Ioannis Patritij Romani votum, cui nix in medio Auguſti æſtu, noctu delapſa fi-

dem

dem astruxit. Creden-
dum præterea, tui Pon-
tificatus gloriam à Cle-
mentissima Regina, in-
genio quidem suo ad o-
pem propensa, auctæ pie
tatis occasione, multis
accessionibus prouehen
dam; & quod caput est,
æternam, quam exoptas
salutem, sub illius auspi-
cijs, tibi ex voto successu-
ram. Fidenter ergo age,

vte-

vtereq. breui ſcripto hoc, quod tibi ſupplex nuncupo, ad Virginis amorem, & cultum appoſitè ad praxim exarato; vt benè currens inciteris, moliarisq. maiora, quibus propagetur cultus Reginæ Cæli: ſub qua Tutelari, quod impensè precor, Eccleſiæ Catholicæ diutiſsimè, ac feliciſsimè præſis.

INDEX

INDEX CAPITVM.



CAPITA PARTIS PRIMÆ.

De Dotibus, quæ Reginæ Cæli amorem excitant.

CAPI-

CAPITA PARTIS SECVNDÆ.

De Cultu Reginæ Cæli.

PARS

PARS PRIMA.
DE DOTIBVS,
QVÆ
REGINAE CAELI
AMOREM EXCITANT.



Pulchritudo. Cap. I.



EGINÆ Cæli forma, quæ in corpore ipſius immortali cernetur, poſt regiam Corporis Chriſti ſpeciem, Beatorum oculis iucundiſſimum æuo ſempiterno ſpectaculũ exhibebit. Si enim pulchritudo mortalis multiplici deformitate permixta,

quam paſſim intuemur, corda capit, imperio ipſius vltrò parentia; quid de forma ſtatu gloriæ perfecta cenſendum? Profectò non temerè à Græcis pulchrum καλὸν dicitur, à calando, hoc eſt, vocando, quod omnia ad ſe vocet, ſibiq. velut adſtringat. Quàm ergo efficaciter ſupernorum ciuium animos permulcebit ſuauiſſima Reginæ tantæ pulchritudo? Vim formæ illius victricem cordium ſenſit Eccleſia, vbi eam ſibi ſubtrahi, cæloque vt imperaret, inferri contemplans, ſic abeuntem affatur:

In Aſsũptionis feſto.

Virgo prudentiſſima, quò progrederis, quaſi aurora valde rutilans? Filia Sion, tota formoſa, & ſuauis es, pulchra vt Luna, electa vt Sol.

Si autem pulchritudo, quæ corporeis patebit Beatorum oculis, eloquen-

tiam

iam omnem, ſenſumq. facilè vincit;
quid de interna dicendum? Sanè vt
externa coaleſcit ex apta membrorum
proportione, cum quadam ſuauitate
coloris, ita interna ex mira virtutum
conſenſione, ac diuino quodam ſplen-
dore conſurgit. Quæ quàm viua pol-
leat energia, ex eo planè perſpicitur,
quod ipſum quoque Deum mirifice
delectat: quod ex vno Salomonis Can-
tico cenſeri poteſt, in quo Deus ipſe
arcana deſponſæ ſibi animæ forma
captus, ac velut ſaucius, tanquam e-
gregij pictoris pennicillo depingitur.
Si ergo interna Agnetis, vel Cathari-
næ pulchritudine ſponſus Deus allici-
tur; quàm erit immenſa pulchritudo
Mariæ, quæ tanto ſibi arctius Deum
adſtrinxit? Quàm ſuauiter Beatorum
internam formam planè abſolutiſſi-

mam puro mentis intuitu contemplantium animos afficiet? Marię pulchritudo cordium magnes eſt, quo ſumma cum voluptate trahuntur Cælites, & quod excelſius eſt, ipſe Cælitum Rex: nam vt canit Eccleſia:

Ornatam monilibus filiam Ieruſalem Dominus concupiuit.

Hæc gloria formæ. Non vltra procurritur.

Decor. Cap. II.

QVod in corporibus externa, vel in animis interna pulchritudo, hoc in actionibus decor eſt: vt enim illa è membrorum proportione, vel connexione virtutum, ita hic ex actuum moderatione, & concinnitate conflatur, vbi expenſis circumſtan-

tijs

tijs actus venusti ad lineam rationis exiguntur, nihilq. agitur, quod minime deceat. Decor vulgo gratia dictitatur, nomine ad rem satis apposito. Exploratum est autem, decorem, seu venustatem actionum ad amorem excitandum ponderis habere plurimum, tametsi forma parùm commendetur: qui enim venustè intuentur, loquuntur, incedunt, cæterosq. familiares actus obeunt, licet pulchritudo desit, perplacent, seq. in animos spectatorum penitus insinuant. Iam verò si forma præstent, exprimi nequit, quibus accessionibus amorem exaggerẽt. Cum ergo Cæli Regina vt pulchritudine, ità & decore apprime excellat; quis possit assequi, quàm efficaciter spectatores suos venustissimis actibus demulceat? Siue statum, siue incef-

ſum, ſiue ſeſſionem contemplemur, eximius decor eſt. Quid ſi intuitum, ſermonemq. obſeruemus? Felices plane ij, qui venuſtate tanta puri amoris altrice fruuntur! Non abſque conſilio canitur ei:

Pulchra es, & decora filia Ieruſalem.

Quis poſſit eloqui, quàm venuſtè in Cælos penetrarit, & ad paratũ ſibi Thronum vltra Seraphim vertices, ſpecie, ac decore præſtantiſſima Regina proceſſerit? Quo lepore Filium Regem immortalẽ ſalutauerit? Quam graui, miti, læto, ſynceroq. intuitu, ciues cæleſtes dulciſſima pulchritudine ſuſpenſos circumſpexerit? Cælitum ſenſum incaſſum coner æquare. Milites prætoriæ cohortis Holophernis elegantem Iudith formam, decorem, leporemq. mirati extulerunt verba hæc:

Non

Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulchritudine, in sensu verborum. Iudith 11.

Exploratores autem, qui eam ceperant, mox ac præsentem aspicere, & dicentem audire potuere, vehementer admirati sunt, sicut scriptum est:

Et cum audissent viri verba eius, considerabant faciem eius: & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. Iudith 10.

Fuit autem formæ, ac decoris æstimatio tanta, vt satellites Holophernis dicerent:

Quis contemnat Populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his merito pugnare contra eos debeamus? Iudith 10.

Si ergo censores pulchritudinis, ac venustatis parum absolutæ, & corru-

ptioni obnoxiæ ſtupent, & pro ea generosè decertare conſtituunt; quid non audendum, & peruincendum, vt confecto mortalitatis curſu, formam Reginæ noſtræ, gloriæ ſtatui per capita omnia congruentem detur tandem intueri?

Lux. Cap. III.

FOrmæ, ac decoris vis luce affulgente ſe prodit, ſpectatoresq. mirifice afficit. Eſt enim lux (vt Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 7. ſenſit) decus, atque ornamentum viſibilis creaturæ, cuius pulchritudinem conſpicuam reddit. Corpora verò gloriæ ſtatu iam immortalia, iuxta Scripturam ſacram, communemq. Patrum interpretationem, ſole ipſo ſplendidiora

fore,

fore, conſtitutum eſt. Erit ſane lux perfectiſſima, quæ intuentes minime perſtringet, ſed perceptione ſuaui ſummam voluptatem pariet. Cum ergo Apoſtolus de Chriſto iuſtos remunerante vniuersè protulerit:

Reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ: Philip. 3.

Qua luce Reginā Cæli, propriamq. parentem perfudiſſe credendus eſt? Quam arctè pulchritudo illa regia, formoſiſſimo ſplendore conſpicua animis ſpectatorum hærebit? Ciuitas illa ſuperna corporis pulcherrimi ſimilitudinem gerit, cuius ciues tanquam bene cohærentia membra, caput, ſpecie imperio digna, Chriſtus, collum velut eburneum Maria eſt. Collum ergò illud appoſitè ad lucem capitis, puriſſimo nitore ſplendebit, cuius a-

more

more immenso Ierusalem beata cõflagrabit. Nos exules stellis coronatam, Sole amictam, Luna velut calceatam Reginam cæli concipimus: at hæc perexigua sunt, si cum gloriæ luce conferantur.

Puritas. Cap. IV.

AMoris conciliatrix puritas est: vnde quæ pura sunt, eo ipso placent, vt purum speculum, purus aer, purum cælum. Quam ergo placebit Regina Cæli ea nitens puritate, qua maior sub Deo, nequit intelligi? Sane quod ad corpus attinet, Virginitas illa cæterarum Virginum candorem immenso vincit excessu, qui conceptui, partuiq candoris ipsius, Verbi scilicet æterni, congruere posit. Quod vero ad animum spectat, perfectissima, &

S.Bonau. in spec. Virg.c.1 ex Anselmo.

diui-

Diuinitati finitima puritas est; quæ omnino decuit eam, quæ Dei Verbum altius concepit mente, quàm corpore, & nulla vnquam culpæ nebula obducta fuit. Hæc ergo tam exacta puritas pulchritudini sociata, quàm alte spectatoribus imprimetur? Quam puros amoris motus excitabit? Theologi certe grauissimi tradiderunt eam fuisse in hac mortalitate Virginis pulchritudinem, quæ dum aspiceretur, castitatem ingeneraret, concupiscentiæ motus extingueret, qui sunt effectus virgineæ illius puritatis plane mirabiles. Quid ergo nũc iuxta puritatis fontem residens efficiet? Quam pura voluptas è Regina illa, tanquam è fontis cratere, aquæ more purissimę, multis velut sulcis discretæ, in animos intuẽtium deriuabitur, vt quemque pro

Ambr li. de instit. Virg. c. 7 S. Tho. 3. d. 3 q. 1 a. 2. quęstiun. 1. ad 4. Alens. 3. p. q. 9. m. 3 ar. 1.

captu

captu ſuo penitus illapſa perfundat? Beati profecto, qui dum Reginæ ſuæ vultum ſummis votis expetitum cernent, puriſsimam haurient voluptatem, nec illa vnquam ſe carituros formidabunt.

Nobilitas. Cap. V.

VIm amoris effectricem nobilitas habet, quod omnium conſenſione gentium claritatem generis æſtimantium ſatis aſtruitur. Regina ergo Cæli, ſi carnis concretio ſpectetur, è ſtirpe regia ducit genus, quod Eccleſia canit in hæc verba:

Clara ex ſtirpe Dauid.

Ceterùm ad amorem excitandum pondus addit immenſum nobilitas illa, quam ex vnigenito Dei Filio è pu-

ro ipſius ſanguine corporato contraxit: quæ ad S. Thomæ mentem, quædam cum Deo affinitas eſt. Huc ſpectat dignitas Matris, quam eſſe ſuo genere infinitam, cum ſit ſuprema cum infinita Verbi perſona coniunctio, idem Doctor aſſeruit. Si ergo ex terreni Principis affinitate nobilitas inter mortales acquiritur; quam erit eximia, quæ ex ſummo ipſo Deo genito paratur? Quid quòd Dei Filius non affinis tantum, verũ & conſanguineus Virginis, vt optarat, euaſit? Infra nobilitatem hanc nobilitas quoque Seraphica, quantumuis euecta, ſubſidit, & honorificum ducit Reginæ tantæ ſubeſſe. Huc certatim aſpirandum eſt, vt obſcura mortalitas in ſtatum nobiliorem traducta clareſcat.

S.Th.2.2 q.103.a. 4 ad 2.

1.p.q.25 a.6.ad 4

Sa-

Sapientia. Cap. VI.

QVam ſit expetenda ſapientia, ſatis euincitur ex laboribus ſummis, quos viri clariſſimi exantlarunt, vt longis itineribus, quos doctrinã excellere, fama erat, conuenirent. Sic è ſacris Salomonem exteri permulti, inter quos Saba Regina, quæ ex eius ore ſuſpenſa pepēdit: & è profanis Pythagoras Memphiticos vates, Plato Archytam Tarentinum, Appollonius Hiarcham è patrijs profecti ſedibus, per regna longe diſsita, ſolo ſapientiæ amore capti adierunt. Cùm ergo Regina Cęli Sapientiam ipſam, Vnigenitum videlicet Dei Filium, alta mente conceperit, & ad regiæ dignitatis proportionem, ſapientiæ potum è propin-

S Hier. epiſt. ad Paulinū.

quo

quo fonte hauſerit; quis poſſit exprimere, quo ſit amore digna ex eo capite cumulatiſsimæ ſapientiæ, quæ animum ipſius luculentiſſime illuſtrat, & honeſtat? Inter aliarum Virginum laudes Eccleſia reponit illam:

Hæc eſt Virgo ſapiens, & vna de numero prudentum.

Quàm ergo erit ſapiens Regina Virginum, quæ Diuinitatis arcana ſublimiſsima contemplatione percepit? Felices, qui aſsiſtent ei, diuina ipſius ſapientia fruituri.

Gratia. Cap. VII.

QVi apud mortales Principes gratia valent, impenſius, quàm dici poſſit, amantur, quod Curiæ ſectatoribus perſpectum eſt. Aſtruitur

hoc aulicorum comitatu, muneribus, & affectatis etiam obſequijs: omnes quippe vellent, eos, quos gratia principum extulit, habere propitios. Cùm ergo Regina Cæli immortalis Regis gratia plurimùm excellat; cæcus profectò ac delirus eſt, qui eam ſummo proſequi amore, & quibus poſſit obſequijs velut demereri non ſatagit. Eſther Reginæ beneuolentiam, ex quo Aſſueri gratia, præ cęteris puellis, valuit, omnes ſolicite captabant. Nec mirum: nam vt ſacer habet textus:

Eſth. 2. *Erat formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur.*

Pauloq. poſt:

Et adamauit eam Rex plus quàm omnes mulieres, habuitq. gratiam, & miſericordiam coram eo ſuper omnes mulie-

res, & posuit diadema regni in capite eius.

Esther itaque suaui formæ vi regis animo hæsit, regniq. proinde consors effecta, se gratia præstare, & quicquid vellet, impetrare posse persuasit: quod ad gentis vniuersæ animos demulcendos efficax proculdubio argumentum fuit. Cum ergo Regum Rex Mariæ pulchritudine captus, illam ad regnum euexerit; quis non liquidò perspiciat, eò sublimem Reginam pertigisse, vt pro ijs, qui supplices ei libellos porrigunt, possit obtinere quod velit? Rationis augetur vis, si gratiæ dignitas expendatur. Est quippe gratia hæc, quam extollimus, non extrinsecùs affixa, qualis gratia Regis Assueri; sed intus recepta, à Theologis gratum faciens, appellata, quod animum na-

turæ diuinæ conſortem, Deoq. propterea gratum efficiat. Ex eo enim Diuinitatis conſortio mirus quidam exiſtit effectus, vt animus gratia exornatus, eximia pulchritudine præſtet, nequeatque maieſtati diuinæ ex eo capite non placere, cùm eius ſimilitudinem gerat. Quò autem gratia hæc in Maria proceſſerit, bene coniectabit, qui eam æterni Dei Genitricem eſſe meminerit, & Filij tanti erga Matrem tantam, immenſum amorem penſitauerit. Non abs re Theologi plerique claſsici cenſent, plus gratiæ in eam vnam, quam in vniuerſos Angelorum choros, hominesq. iuſtos ſimul acceptos fuiſſe collatum. At rem hanc omnino grandem quis æquis bilancibus poſsit appendere, excepto Deo, qui ſatis nouit, quos in Maria theſauros

condiderit? Si Maria, vt Epiphanius dixit, ſolo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtit; cui niſi Deo ſoli gratiæ in eam collatæ reſeruatur expenſio? Hac de cauſa de excelſiſſima Virginis gloria, quæ gratiæ reſpondet, nihil dicendum, ſed cedendum eſt.

Epiph. in orat. de lau. Vir.

Opulentia. Cap. VIII.

DIuitiæ amorem conciliant: nam qui bene nummati ſunt, tametſi nec forma, nec venuſtate præcellant, auro ſpeciem addente, impensè amantur; multusq. propterea eis honos defertur. Quid ergo de Regina Cæli ſentiendum, quæ Dei opes, vti proprias poſſidet, atque diſpenſat? Huc confert illud Bernardi:

Intuere, ò homo, conſilium Dei, cæle-

In ſer. de natiu. B. Mariæ.

sti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit: Redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam.

Quorsum autem contulit, nisi vt Mariæ opibus ditemur, & quicquid boni recipimus, eidem feramus acceptum, quod Bernardus ipse post pauca subtexuit in hæc verba:

Altius ergo intueamini, quanto deuotionis affectu à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit delicijs affluens.

Qui ergo veras diuitias parare cupit, Virginis amorem alte concipiat, eiusq. contempletur opes, quibus nihil inter puras creaturas pretiosius reperitur.

peritur. Studeat inter aulicos Reginæ tam diuitis recenſeri vt locuples fiat: ſit piè cupidus: inculpatamq. cupiditatem exiſtimet, quæ non auro, vel argento, ſed bonis cæleſtibus, è Mariæ gazophylacio depromptis explebitur, nec vllum patietur decrementum.

Potentia. Cap. IX.

MOrtalium fragilitas potentiæ alicuius omnino magnæ, à qua protegatur, cupidiſſima eſt. Ex quo efficitur, vt qui ab hoſtibus infeſtantur; ad Principum, quos potentia pollere, fama eſt, tutelam, velut ad bene munitam arcem confugiant. Quænam verò arx tutior, aut quæ potentia maior, quàm Reginæ Cæli, quæ inuictiſſimis à Deo viribus robo-

rata, & regno, quod expugnari nequit, præfecta est? Iosephi potentiam Ægyptus demirata est, ex quo peruulgata fuere Pharaonis verba hæc:

Gen. 41. *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni solio te præcedam.*

Et hæc:

Ego sum Pharao, absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in omnem terram Aegypti.

Hæc, vt audiuit Ægyptus, Iosephum certatim amauit, & coluit. Cum ergo populus Christianus, Reginam cæli mundo vniuerso præpositam esse, vnoq. duntaxat diuinæ Maiestatis solio præcedi, certò nouerit; debet profectò potentiam tantam suspicere, amare, ac ritè colere. Debet quouis imminente periculo, ad Virginis tute-

lam quantocyus ſe recipere, omnino fidens, ad Reginæ tantæ imperium, mala omnia procul arcenda, bonaq. omnia feliciter ſucceſſura.

Miſericordia. Cap. X.

VEl ſola Reginæ Cæli miſericordia deberet mortales vniuerſos ad eius amorem efficaciter flectere. Sunt enim tot, tam crebra, tam illuſtria eius virtutis teſtimonia, vt ſaxa quoque ipſa poſſint emollire. Nimis operoſum ac prolixum foret, auguſta orbis Chriſtiani templa, in Virginis honorem, Deo dicata percenſere, quorum parietes tabellis ex voto ſuſpenſis obteguntur, in animi grati ſignum, ob accepta multiplicia beneficia, è miſericordia Virginis, velut è

ſalutis officina, profecta. Quod adeò verum, vulgatum, & creditum eſt; vt in ſummis periculis, ob anteacta experimenta, nullum Chriſtianis præſentius remedium videatur, quàm inuocatum nomen Mariæ, quo ſalus expetita citius interdum obtinetur, quàm commemorato ipſo nomine Ieſu, vt Sanctus obſeruauit Anſelmus in hæc verba:

Lib. de excel. B. V. Mar. c. 6.

Velocior nonnunquam ſalus memorato nomine eius, quàm inuocato nomine Domini Ieſu vnici filij ſui.

Si ergo Regina miſericors tam eſt velox ad auxilium; quis eam ex hoc capite non amet, & ſuauiſsimum eius nomen centro cordis inſculpat?



Multiplices aliæ dotes. Cap. XI.

DEcem prompſimus dotes, quaſi totidem amoris ſtimulos, qui ad amorem Virginis pium quemque perurgent. At ſunt dotes aliæ permultæ, quæ in amoris fomenta æquis æſtimatoribus vertuntur. Huiuſmodi eſt modeſtia illa Reginæ Virginum propria, quæ pulchritudinem inſigniter auget. Maieſtas Regia, quæ non minus amoris, quàm venerationis ingẽnerat. Facilitas exaudiendi, qua nihil ſuauius poſsit excogitari. Manſuetudo illa planè dulciſsima, quæ indomitas quoque feras leniret. Amor immenſus erga homines, quibus quantumuis fla-

gitiosis, & in desperationem actis præsentissimum ferre solet auxilium. Quis ergo ita desipiat, vt Reginam tot eximijs dotibus exornatam, & in opus nostræ salutis intentam non impensè amet, eiq. se totum, vt fidissimæ tutelari dedat?

Ecclesiæ affectus erga Cæli Reginam. Cap. XII.

IIs, quas leuiter attigimus, dotibus Ecclesia ducta, purissimæ Virgini laudes innumeras suaui concentu, velut quoddam amoris tributum, reddere consueuit. Quod vt religiosius efficeret, è Scriptura sacra, & Sanctorum

ſcriptis ſymbola, epithetaq. varia excerpſit, quibus in ſolemnibus eius feſtis vteretur. Huc pertinent illa pulcherrimis decorata metaphoris, & notis, quaſi hieroglyphicis picta, Ianua Cæli, Speculum ſine macula, Turris Dauidicà, vel eburnea, Fœderis arca, Hortus concluſus, Gedeonis vellus, & id genus alia, quæ in Eccleſia canuntur harmonicè, vnde pijſsimi, ac tenerrimi affectus largo cum lacrymarum imbre diſſultant. Ad ſenſum ergo Eccleſiæ pius quiſque tenero affectu, & quibus poſsit externis teſtari amoris actibus, ſpontaneum aliquod velut tributum Cæli Reginæ rependere debet, quod feriò decernendum eſt.

PARS SECVNDA.

DE CVLTV REGINÆ CÆLI.



Quid primùm à cultore Virginis præstandum. Cap. I.

PRINCIPIO enixè precetur, ne Regina Cæli aspernetur hominem humi defixum, potiusq. ex ingenio suo liberalissimo, eius tutelam suscipiat. Poterit autem oratione, vel etiam sacrificio Missæ præmisso in

hunc modum, in templo, vel oratorio aliquo, ſe totum Virgini offerre.

Clementiſsima Cæli Regina, & ſpes firmiſsima ſalutis meæ; Ego N. benè conſcius meæ indignitatis, animi demiſsione, quàm poſſum, maxima, animo tuo ad miſerendum promptiſsimo fretus, me totum tibi offero, teq. in tutelarem meam, per totius vitæ decurſum eligo. Obſecro ergo te, Regina mitiſsima, per viſcera Vnigeniti Filij tui, ne me deſpicias, ſed mei protectionem, tutelamq. ſuſcipere digneris, vt ſub auſpicijs tuis, vitam in Dei amore, caſtoq. timore perſeueranter ducam.



Quid ob tutelam Virgini reddendum.
Cap. II.

NOn eſt habenda neglectui Virginis protectio, neque temerè credendum eam, vt optamus, fore ratam, niſi, qui boni tanti cupidus eſt, peculiare quippiam impendat, quod prudenter poſsit in argumentum ſuſceptæ protectionis vertere. Pie autem, & prudenter creditur, eum, qui Reginæ cæli, aliàs ad opitulandum propenſæ, cultum peculiarem affert, peculiari quoque tutela ab ea protegendum. Erit ergo ad rem, vt qui per totius vitæ curſum, à tutelari tanta muniri de-

poſcit, perennem aliquem cultum reciproco affectu rependat. Habebit autem delectum cultus, quem decernere parat, qui ſtatui, negotijs, & circumſtantijs congruat. Alij quippe precationem, quam Virginis coronam appellant, alij officium eius paruum, alij Sabbati ieiunium, alij Miſſam de B. Virgine, alij certas eleemoſynas ad puellas inopes nuptui tradendas, alij alia ſeligũt, quæ affectus ſuggerit pius. Alij feruntur vlterius, ſpondentq. ſe nihil ob amorem Virginis poſtulatum negaturos. Alij ad reſpirationes ſingulas, ſe totos Virgini offerunt, ad quælibet ardua ipſius amore tentanda comparatos. Ex ijs ergo, vel eius generis alijs lector, delectu habito, vel vnum, vel plura conſtanter exequi ſtatuet. Poterit autem in hunc modum

cum

cum Cæli Regina pacisci:

Clementissima Cæli Regina, cuius protectionem summis votis exopto, Ego N. Vnigeniti Filij tui gratia, tuoq. præsidio fretus, decerno per totius vitæ decursum, tibi peculiari studio famulari: in cuius obsequij signum, statuo, me diebus singulis, in tui honorem, officium paruum recitaturum, vel certam hanc eleemosynam erogaturum, &c. Nec oblationem pauperis respuas, Regina mitissima, sed inopiæ meæ miserta orantem admitte, atque tuere.



Quid à quouis Reginæ cæli cultore præſertim agendum. Cap. III.

POtiſsimus Virginis cultus, ab eaq. præſertim expetitus, eius imitatio eſt: Quicquid enim eius cultor agat; ſi moribus ab ea diſſentiat, parum ſanè proficiet. Nam licet Regina miſericors ſceleſtos minimè paucos cœptis vitijs inſiſtentes, ipſam tamen quotidie precari ſolitos, in extremo agone mortis protexerit; non inde conficitur, vt pium, prudensve conſilium ſit, imitatione neglecta, in aliqua precatione, vel ieiunio Virgini deſtinato ſpei multum reponere, cùm

eidem Virgini ſordida vita diſpliceat. Prima ergo cura ſit, vt qui Cæli Reginam cupit ſibi eſſe propitiam, eius vitam innoxiam imitetur. Ne vero imitationis ſtudiũ vniuerſe acceptum, quaſi vagum, & incertum minus ad praxim deriuetur; proderit virtutem aliquam peculiarem, puta humilitatem, vel manſuetudinem ſeligere, in quam imitator neruoſius incumbat. Imitationis autem propoſitum poterit in hunc modum concipi:

Clementiſſima Cæli Regina, & abſolutiſſimum ſanctitatis exemplar, Ego N. Vnigeniti Filij tui, tuoq. auxilio innixus, conſtituo, virtutes, moresq. imitari tuos, vt tibi ea ſimilitudine placeã: quod vt rectius efficiam, humilitatem tuam, vel manſuetudinem, vel caſtitatem, mihi peculiariter

ad imitationem præfigo. Supplex ergo oro te, Virgo puriſſima, mihi adſis, vt tantæ virtutis amore flagrem, eam fidiſsime colam, eaq. parta, tui ſimilis euadam.

Quid ſummo mane à cultore Virginis præſtandum. Cap. IV.

FIdus Virginis cultor, quotidie ſummo mane, ſe ſuaq. omnia non modò ad diuinæ maieſtatis, verum ad Reginæ Cæli gloriam dirigere debet, quod paſſim à viris pijs fieri conſueuit. Poterit autem vti directione hac:

Clementiſsima Cæli Regina, cui

placere cupio, Ego N. offero me ipſum, cogitationes, verba, operaq. omnia vitæ totius, peculiariterq. huius diei, ad Diuinę primùm, & mox ad tuę Maieſtatis gloriam: firmiterq. ſtatuo, culpas omnes cauere, bonisq. operibus, quoad potero, tui gratia conſtanter inſiſtere. Precor ergo te, quàm poſſum impenſe, Regina humaniſsima, me per omnia dirigere, ac tueri digneris.

Quid in proceſſu diei ad cultum Virginis agendum. Cap. V.

SEdulus Virginis cultor nec deſiderium, nec officium explet, ſi matutina, quam præſcripſimus, dire-

ctione vtatur: ſed, vt experientia multiplici conſtat, antequam opus quodlibet, puta officium diuinum, Miſſæ ſacrificium, concionem, ſacram confeſsionem, ſeſsionem aliquam, prandium, cœnam, negotium quodpiam inchoet, breui animi aſcenſu, ſiue eleuatione, actum inſtantem ad Reginæ Cæli gloriam, ſe piè exequi velle decernit in hunc ferè modum:

Clementiſsima Cæli Regina, actum hunc concionandi, ſacrificandi, negotium gerendi,&c. ad Diuinæ primum, deinde ad tuæ Maieſtatis gloriam ex animo dirigo: precorq. vt, te fautrice, piè agam, & ab omni culpa procul abſiſtam.



Quid ante ſomnum à Virginis cultore obſer. uandum. Cap. VI.

EXamine conſcientiæ præmiſſo, & maieſtate diuina nonnullis contritionis actibus, & precibus propitiata, Virginis cultor, antequam cubitum diſcedat, ſalutationem Angelicam, vel Antiphonam, Salue Regina, cunctanter recitet, Reginæq. Cæli auxilium ad noctem illam inculpate ducendam, multa cum animi demiſsione depoſcat. Poterit autem vti prece hac:

Clementiſsima Cæli Regina, & arx tutiſsima miſerorum ad te confugien-

tium, te precor, quàm enixe possum, nocte hac mihi adsis, vt necessario somno, absque vllo animæ damno, refectus ad tuas laudes euigilem.

Quid in Virginis festis agendum. Cap. VII.

TEmpus anteuertendum est, & per dies aliquot ante festum, peculiare quippiam in Reginæ Cæli honorem præstandum, cuiusmodi est certus aliquis adorationum, seu prostrationum numerus cum seria Virginis inuocatione, frugalitas aliqua in victu moderata, seu vigiliæ ieiunium, eleemosyna ob amorem Virginis erogata, vsus cilicij, & verberum, similisve alia corporis castigatio, & in ipso

denique festo sacra confessio, & Eucharistiæ sumptio pensitatior, quàm diebus alijs, & religiosior.

Qualis erga Cæli Reginam debeat esse deuotio. Cap. VIII.

2.2.q.82 ar.1. DEuotio ex S.Thoma, est voluntas quædam promptè tradendi se ad ea, quæ ad famulatum Dei pertinent. Ad hunc ergo sensum, proportione seruata, deuotio erga Virginem, erit prompta quædam, & parata voluntas exequendi ea, quæ ad eius attinent cultum.


Quocirca qui Cæli Reginam, vt par est, colere decernit, quicquid ad ipsius

ſpectat honorem, expeditè, & alacriter expleat, occaſionesq. illius laudes celebrandi, eius hiſtorias lectitandi, miracula & beneficia recolendi, ſuauiſsimum Mariæ nomen inuocandi, aliosq. ad eiuſmodi actus pios inducendi captet: quod ſanè ſtudium lætitiæ ſpiritualis, ſpei, ac meriti feraciſſimum eſt.

Qualis eſſe debeat Virginis æſtimatio. Cap. IX.

VErus Virginis cultor ità erga cæli Reginam debet affici, vt poſtquam omnia ſuperiùs præſcripta expleuerit, nihil ſe putet egiſſe; illamq.

ſupplex oret, dignetur eum, inter cultores ſuos gratis recenſere. Quid enim celſitudine, ac maieſtate tanta dignum mortalis homo culpæ vinculis innexus, & graui hæreditariæ fragilitatis morbo æger poſsit offerre? Profecto etſi omnes mundi opes, honores, voluptates aſpernaretur, & acerrimos Virginis gratia ferret cruciatus, deberet ſe illius tutela planè indignum profiteri, eiq. ſe totum ob ſolam ipſius puritatem, ſapientiam, & pulchritudinem, velut emptum mancipium dedere: Hæc Reginę Cæli æſtimatio eſt.



Pre-

Precatio, quæ præcipuas Summi Pontificis curas complectitur.

CLementissima Cæli Regina, & spes firmissima salutis meæ, obsecro te, per immensi amoris incendium, quo flagras erga Vnigenitum Filium tuum, dirigas me illius Vicarium, vt ei tàm in vitæ integritate, quàm in creditæ mihi ab eo Ecclesiæ regimine, per omnia capita congruã, nec vnquam ob vllam prosperitatem, siue aduersitatem ab eius mente dissentiam. Per te Regina potentissima,

Ecclesia militans protegatur, vt quicquid habet boni, alatur, & crescat, & quicquid admixtum est, vel imminet mali, procul arceatur. Tuere, & promouē, fidissima tutelaris nostra, Ecclesiasticam Hierarchiam, vt qui in partem Apostolicæ solicitudinis, mihi adiuncti, & subiecti sunt, mecum in opus, quod à Filio tuo nobis commissum est, exemplo vitæ, & pijs laboribus incumbant: atque adeò Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, eorumq. Vicarij, Parochi, & alij quouis nomine animarum curam gerentes, iuxta officium quisque suum, vitæ puritate, Ecclesiasticæ disciplinæ studio, idoneo Sacramentorum ministerio, & animarum eis subditarum cultura præcellant. Sacerdotes alij, & clerus vni-

uersus

uersus functiones suas legitime obeãt, & inculpate viuant: Concionatores Iesum Christum crucifixum prædicent: Monachorum, sacrarumq. Virginum claustra florentia vigeant, & deformata reformentur: cunctusque populus Christianus diuinæ, & Ecclesiasticarum legum præcepta custodiat, & Sacramentis ad eius salutem institutis digne, ac frequenter vtatur. Pax multa per te, mitissima Regis pacifici mater, ætate nostra firmetur, vt omnes Principes Christiani in veram concordiam, te animos conciliante, conspirent; & vbi aduersus infideles bella gerunt, inter se fœderati de hostibus Ecclesiæ victoriam reportent: Schismaticiq. omnes iugo Filij tui suaui collum subdentes ad Ecclesiæ redeant vnionem. Per te fortissima hæ-

resum interemptrix, hæreticorum conatus reprimantur, & in Christianis academijs doctrina Catholica integra constet, vt vincat veritas, Vnigenitus scilicet Filius tuus. Per te dulcissima misericordiæ Mater, conuertantur non modò Christiani peccatores ad iustitiam, sed infideles ad Catholicam Ecclesiæ Romanæ fidem, quæ per dilectionem operatur, vt fiant è selecto numero populi, quem acquisiuit Redemptor noster pretio sanguinis sui. Per te denique, liberalissima cælestium bonorum dispensatrix, & suauissimum omnium ad te suspirantium refrigerium, reparentur damna omnia nostris animis, & corporibus illata, & abunde proueniat, quicquid desideratur boni, vt confecto mortalis vitæ cursu, ad optatissi-

mam perueniamus Dei Ciuitatem,
quam inquirimus, & ſummo,
ac ſempiterno bono per-
fruamur.

F I N I S.



